



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XIX. AUGUSTI.



Constantinopoli, a. d. 12. Junii. Qui Episcopus Romano-Catholicus, & II. ejusdem Religionis socii, quos inter quidam Monachi, ex insulâ Chio capti-

vi aliquo ex tempore huc asportati, per onus quasi Ætnâ gravius eorum humeris impositum, præcipuè cum iis defudandum fuerit in civitatis nostræ munimentis, pèrque atroces minas, se se ut redimerent 35000. talerorum lytro, arariis magni Vezirii ac Capitanei Bassæ inferendo, sunt obligati. Quòd verò Episcopum talis copia nummorum deficeret, sanctâ fide proposuit, se se à Catholicis in Chio reliquis hanc summam petiturum: Aula verò quòd verbis discredere, vades pro debito tali

constituit, atque ita in plenam assertus libertatem cum suis ad quendam è vadibus est diversatus. De Rege (vocant Sophum) Persiæ certi nihil etiamnum innotuit, cum alii referant ipsum, cæso pèr rebelles exercitu, in fugâ Babylonem versùs exspirâsse; alii sanum Regem inoffenso pede Babylonem intravisse: cujus verò civitatis Gubernator cum in litteris recenter ad majorem Vezirium datis nihil desuper mentionis faciat, ac solùm meminerit, quòd castra 30000. bellatorum in finibus Persarum collegerit, ad eam urbem contra insultum Ducis rebellium vocati Meriveis, pro tempore occupantis ac usurpantis Regnum Persiæ, ex composito protegendam. Fertur & Residens Czari Russiæ majori Vezirio deduxisse in notitiam, quòd Principalis suus Of-
ficia-

ficialem destinavit ad dictum Meriveis, qui petat reparationem cladum, quas mercatores Russiæ subditi, pluribus cum mercibus à Chinâ venientes, à Tartaris Churchiæ, Usbecæ ac Choschæ, dependentibus à Regno Persiæ, successivè acceperunt; qui tamen Officialis contemptim rejectus ac remissus fuerit, ut proinde Czarus, vindictæ appetens, vi armorum suam suorumque cladem ac injuriam ulcisci decreverit; quo in molimine Turcia Czarum nequicquam impedire appromisit.

Româ, a. d. 11. Julii. Lunæ secreto in Consistorio Sanctissimus Colossensem ecclesiam titolarem pro D. Ascanio Gonzaga, Episcopatus unitos Avellinum & Trecentinum Regni Neapolis pro D. Francisco Antonio Tiny; Belcastrensem Infulam pro D. Angelo Gentile; Bituntinensem in Neapoli pro D. Luca Antonio de la Gatta; & ad nominationem Regis Christianissimi Archi-Episcopatum Rhemensis pro Abbate Armando Julio de Rohan proposuit. Cardinalis de Ottoboni verò titolarem ecclesiam Giropolensem pro D. Josepho de Valbelle; Cardinalis, Annibal Albani Archi-Episcopatum titolarem Stamiensem unâ cum Suffraganeatu Posnaniensi pro D. Bernardo Gozdeski, Cardinalis de Aquaviva Episcopatum Gadlarzensem in Occidentali Indiâ pro D. Petro de Tagis; & Cardinalis de Cienfuegos Episcopatum Castelaramensem in Regno Neapolis pro R. P. Petro Santano Ordinis S. Francisci prædicârunt; quando & altedicta Sanctitas D. Valentinum de Gonzaga in Dignitate Archimandritæ Siciliæ, concessâ per Imperatorem, confirmavit.

Holmiâ, a. d. 18. Julii. Legatus Moschoviæ videtur contentus responso Ministrorum Sueciæ circa novum com-

mercii tractatum cum natione Russicâ erigendum. Quantum verò concernit titulum Imperatoris Czaro ab Aulâ Sueciæ tribuendum, remissa est decisio ad proxima comitia, in quibus Status desuper oportuna conferent, ut desuper quid Aulæ Czareæ non ingratum resolvatur. Interea Russicis mercatoribus concessa est copia & libertas tam in hac civitate, quàm aliis Coronæ obnoxiiis non aliter, ac ante bellum posterius, commercia exercendi. Quòd inter hanc Sueciæ ac Daniæ Aulas fœdus ventiletur, rumore libero pervulgatur. Tametsi classis Danica jussu ejusdem Regis nuper prorsus exarmari debuit; nunc mandavit 4. naves bellicas majores totidémque liburnicas in Hafnienfi portu armatas reservari.

Hamburgo, a. d. 21. Julii. Comes de Metsch Minister Suxæ Majestatis Cæsareo-Catholicæ Plenipotentarius hujatam Magistratum curavit edoceri, molestius ferre Cæsarem, quòd ideam fabricæ in destructâ Imperialis Ministri æde construendâ transmissam non imitetur. Quem Dux Holsato-Retwicensis Ministrum à Consilio de Schutger expedivit Hafniam, indè rescripsit, diversa sese cum magno Regis Daniæ Cancellario jam duxisse colloquia super negotio successionis Ducatum Plönensem concernente, non absque spe Commissa ex voto exequendi. Juxta signatas Moscux 23tiâ Junii, extraordinarius cursor eò ingressus Constantinopoli, Astracanam rectâ viam persequitur, relato primitus, quòd magnus Turciæ Sultanus Czaro Russiæ plenam relinquat libertatem commercium nationis suæ stabiliendi in Persiâ; quòd & in confusis Persarum motibus Porta Turciæ 6. Bassas, cum 10000. armatorum robore singulos, ad ejus Regni fines dimiserit, ubi

ubi pars rebellium in factiones divi-
 forum hunc, pars alium Ducem postu-
 lat castris præponendum. Successivè
 plures è Moschoviâ icopiæ transferun-
 tur Astracanam ac in Siberiam, ac cur-
 sor expeditus Moscuam nuntiavit, Cza-
 rum modò Casanam attigisse, atque al-
 tediætæ Majestatis exercitum ex 30000.
 armatis compositum quâ Moschis, quâ
 Cosaccis & Tartaris, jamtum processis-
 se usque ad mare Caspium, ubi Czarus
 unâ cum hoc robore militari velit sese
 mari committere ad conceptum moli-
 men exequendum.

Parisii, a. d. 24. Julii. Rhemis per-
 scribitur, jamtum inibi Metropolita-
 nam Deiparæ Virginis ecclesiam, in
 quâ peragetur Regiæ unctiois solem-
 nitas, ad splendorem sedulò exornari.
 Legatus Hispaniæ, Martis lapsâ curso-
 rem nactus è Curiâ Madritensi, die
 postera transivit ad Castrum Versallen-
 se, ut Commissa sibi transcripta com-
 municet Majestati Regiæ; quæ hunc Ma-
 gistratum fecit commoneri, sese ad in-
 stantiam civium, quibus multa clades
 accrescit per Aulæ absentiam, unctio-
 ne præviâ, inclinari ad hiemem in hâc
 Lutetiâ transigendam. Cardinalis de
 Acunha, prius Aulâ & Archi-Episcopo
 Cardinale de Noailles salutatis, nupe-
 râ Martis hinc cum 4. carpentis cur-
 soriis Madrito ad Lusitanos viam ten-
 uit. Ducissa Aurelianensis Infantem
 Reginam donavit popismate ex cerâ
 virgine, 3. pedes alto, cum inauribus,
 monili gemmeo, cruce adamantinâ, ap-
 paratu argenteo, 2. Indicis cistulis cum
 genere omni sindonibus, vestibus
 pretiosis, omnique mundo muliebri,
 ut juvenulam Principem delectet va-
 rietas.

Alia indidem, a. d. 27. Julii. Comes
 de Windisgrätz Plenipotentarius im-

peratoris Romanorum Legatus nuper
 cum Comite de Morville Secretario no-
 stri Statûs Regii Abbatem de Bignon ivit
 visere, qui eidem Regiæ bibliothecæ
 vel maximè visu curiosa spectanda ex-
 hibuit, ut desuper summopere conten-
 tus recesserit. Plenipotentiarium An-
 gliæ Legatum Pro congressu Cameracen-
 si Comitem de Witworth hæc Aula
 præstolatur avidè, qui pro congressu
 pandendo instructiones conferet. Co-
 mes de Albert extraordinarius Electo-
 ris Baviaræ Legatus magnam hic ære
 comparat telæ subtilis affabre factæ ac
 pretii excellentis copiam, unâ cum
 segmentis ac tæniolis aureis ac argen-
 teis, lapidibus pretiosis, ac argenteo
 mensali ac Aulico apparatu, pro maje-
 state nuptiarum Principis Bavarici Ele-
 ctoralis cum Archiduce Josephinâ
 servituris. Nocte 13. inter & 14tam
 Julii fulmineo correptus ictu pagus Bail-
 ly, 4. leucarum spatio ab urbe Antisio-
 doro distitus, 50. circiter ædes com-
 plectens omnino deflagavit, quo &
 incendio 3. ad 4. incolæ extincti sunt,
 plures sauciati. Constat per litteras
 ex insulâ Melitensi, 17mâ Junii supre-
 mum ejusdem S. Ordinis Magistrum de
 Zandedari post longiorem morbi fa-
 talis conflictum reddidisse animam; ac
 deinde Commendatorem Ordinis Ema-
 nuelem de Acunha, Lusitanum, fratrem
 nominis ejusdem Cardinalis, in succes-
 sorem electione canonicâ per Equestris
 Ordinis Capitulum esse subrogatum.

E Tractu infer. Rheni a. d. 20. Julii.
 Sabbathi lapsâ, compages lignea casu
 fortuito Bonnâ non procul dissoluta,
 mulrum cladis faceffivit, omnesque no-
 vem molas Rhenenses è statione avul-
 sas secundo flumine translocavit. Sta-
 tus Angariæ in comitiis Arensbergæ
 sunt congregati. Legatus Principis
 Electo-

Electoris Bavarix huc expeditus fuit, in finem Metropolitano Colonienſi Capitulo de factâ Principis Episcopi Monasterio-Paderbornenſis electione in Coadjutorem Archi-Episcopatus Colonienſis ſolemnes gratias rependendi. Francofurio de 26tâ labentis accepimus, Superioris Rheni Deputatos Circuli pridie ſummam manum addidiſſe comitiis, ac Georgium Principem Haſſo-Caſſellanum eò Colubrinis è thermis acceſſiſſe. Recenter in Comitatu Sponheimii omnibus ex ambonibus Evangelicorum, ut vocant, publicatum fuit, quòd Feſta omnia Divis Apoſtoliſ ſacra nonniſi die medio deinceps celebranda forent; aſt, populo contra novitatem hujusmodi, proteſtante, ne ulterior eveniret commotio, concepta reformatio in ventre eſt ſtrangulata. Italicis per litteras innotuit, quòd, cum Supremus Melitenſis Ordinis Magiſter fatiſ conceſſerit, Equeſtris ejuſdem Religionis Ordo D. Antonium Emanuelem natione Luſitanum, in ſucceſſorem elegerit; quòd & idem Ordo inſulam Gozenſem munire operibus, copiis & nervo militari continuet, bene ponderato, quòd formidetur in eam inſultus Turciæ, cujuſ quædam ſultanicæ naves Archipelago ſuſpectæ divagantur.

E Tractu infer. Rheni, a. d. 2. Auguſti. Status Ducatum Julix ac Montium in civitate Duſſelanâ congregati, reſponſo Electoris Palatini ſuper concluſo reſcripto ex urbe Schwetzingenſi, ſua reſumentes colloquia jam deliberant; quæ altedicta Serenitas, poſtulatſ in hærendo, prætendit ſummam 600000. imperialium è Ducatibus Julix Montiumque colligendam. Cæſareis pro ſignis Colonia Ubiorum tirones optato cum ſucceſſu impigre conſcribuntur.

Alia de eodem. Noviffimis edocemur datis Hagâ Comitſ, **Dominum de Hopp** à Statibus Belgii Federatiſ mandatum

accepiffè Cameracum tranſeundi in qualitate Plenipotentiarſ, ſimul atque congreſſus paciſ erit inchoatus. Conſul Mallagenſis dictos Status Federatos edocuit, ſibi eſſe declaratum, quòd, ſi contingat naves, Venetiis evectas admitti in Hollandiâ, Aula Madritenſis omnem eadem Republicâ commercium inhibere decreverit.

Viennâ, a. d. 15. Auguſti. Vaſſerburgo ex ſuperiori Bauariâ refertur ibidem ad 40. & ultrâ navigia in promptu ſtare, ad ſtipandum ſereniffimum Principem Electoralem Bavarix hæreditarium huc feſtinantem ad ſponſalia cum Auguſtiſſimâ Joſephinianâ Principiſſâ proximè ut opinamur celebranda.

Poſonii, a. d. 19. Auguſti. Lapsâ Veneris Eminentiffimus Archi-præſul noſter Cardinalis Dux Soxoniæ ad vallem Marianum ſeſe contulit, ibidemque in feſto Magnæ Matris noſtræ B. M. V. ad cælos aſſumptæ pientiffimam devotionem ſuam peregit, ubi in copioſiffimâ populi frequentiâ Rdmu. D. Joannes Pelcz Abbas B. Mariæ Virginiſ de Lucentiâ Cantor & Canonicus Scepuſienſis ſpecioſo idiomate germanico concinonem abſolvit; ſequenti verò die altè fata Eminentiffima Serenitas Illuſtriſſimum D. Comitem à Zinzendorff in Abbatem Bözvaradienſem, ſacrâ coronavit mitrâ aſſiſtentibus eidem Eminentiffimo, Illuſtriſ. ac Reverendiſſimo D. Joanne Kiſſ El. Episc. Anſarienſi, præpoſito majori Strigonienſi, & Joanne Okoliczany el. Episc. Novienſi Lectore & Canonico Strigonienſi: neo inſulato verò, R. D. Paulo Bartakovicz Canonico Strigonienſi, & Joanne Pelcz Cantore & Canonico Scepuſienſi. In Eccleſiâ verò noſtrâ Collegiatâ ad S. Martinum mentionatæ feſtſvitatſ die Excel. Comes D. Adamus Erdödy Episcopus Nitrienſis &c. &c. ſummâ devotione pontificalia perſolvit.